

Nf 14





Q. D. B. V.  
DE

10

GENUINA STU-  
DII THEOLOGICI,

præcipue

THETICI,  
INDOLE AC METHODO,

ex 2. Tim. I. v. 13, 14. demonstrata,  
differit,

atque

IN NOMINE JESU CHRISTI,  
nec non

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI  
REGIS BORUSSIÆ AC ELECTORIS  
BRANDENBURGICI,

FRIDERICI,

JUSSU CLEMENTISSIMO

publicum docendi munus capeffens,

LECTIONUM THEOLOGICARUM

INITIA

ACADEMIÆ HALLENSIS CIVIBUS

OK.

INDICIT

JOACHIMUS Gangel

SS. Theol. Prof. Publ. Ordin.

---

HALLÆ MAGDEBURGICAE  
LITTERIS CHRIST. HENCKELII, ACAD. TYP.



G. D. B. N.

GENUINA STU

DI THEOLOGICI

THEOLOGICI

INDOLE AG METHODO

ESS. TUM J. N. L. V. A. C. M. P. N. I. A.

IN NOMINE CHRISTI

REGIS RUSSIAE ELECTORIS

BRANDENBURGICI

FRIDERICI

ISSU CEMENTISSIMO

LECTIONUM THEOLOGICARUM


IN

DE BENEFACT. YRS CIVIS

ILLI

IOACHIMUS





Gregium sane, notatuque dignis-  
simum, est monitum, quo gentium do-  
ctor, Paulus, Timotheo, suo olim disci-  
pulo, filioque genuino, *doctrina christia-  
na studium ac custodiam* commendat,  
quando in epistola ad eundem posteriore  
c. I. v. 13. 14. ὑποτίτωσιν, inquit, ἕως  
ὑγιαίνοντων λόγων, ὧν παρ' ἐμῆ ἡκιστας, ἐν

πίσει ἡ ἀγάπη, τῇ ἐν χειρὶ Ἰησοῦ. Τὴν καλὴν παρακαταθήκην  
φύλαξον διὰ πνεύματος ἀγίου, τὸ ἐνοικῶντος ἐν ἡμῖν. Luculen-  
ta in his verbis latet *methodus* tractandi sanctum Theologiae, in-  
primis Theticae, studium. Quae, rerum peritis jam tum satis pa-  
tens, ut imperitioribus quoque reddatur conspicua, paucis ef-  
ficiam, succincta loci ἐξηγήσεις praemissa. Ad hanc vero tria  
potissimum pertinent: 1. Συνάφεια seu *Connexio* 2. *Sensus litte-  
ralis*. 3. *Emphasis*.

Primum merito locum in Exegesi sibi vindicat CON-  
NEXIO, utpote sine qua reliqua cura omnis non supervacua  
quidem, at incerta tamen est. Etenim quemadmodum ἀνατο-  
μή, seu sectio medica, unius cujusque membri firum ac consti-  
tutionem in corpore accurate demonstrat; sic certior loci a-  
licujus biblici cognitio e totius sermonis structura omnino pen-  
det. Jam si antecedentia respiciamus, praetermissis epistolae  
exordio, diversam Apostoli adhortationem deprehendimus; &  
primum quidem ad *suscitationem charismatum*, jam inde a con-  
versione & initiatione ecclesiastica acceptorum; ubi egre-  
gium illud ἀναζωοποιεῖν urget. v. 6. quorsum etiam v. 7. refertur.



Deinde sui ipsius exemplo acceptæ gratiæ usum commendat, in perferendâ calamitatis, ob Evangelium immittæ, aut posthac immittendâ, constantia v. 8. Postquam vero in proxime sequentibus officii sui, uti & Evangelij, nervum ac rationem descripserat, non immemor instantis sui ex hac mortalitate excessus, versiculo 13. & 14. (quos enucleandos sumimus,) *Timotheo Evangelicæ doctrinæ, quam a Christo acceptam ipsi tradiderat, conservandæ curam injungit.* Hæc de antecedentibus. In consequentium consideratione, unico, quod proxime locum nostrum excipit, commate jam sumus contenti. Hic vero contrarium deprehendimus; siquidem Paulus conqueritur de inconstantia plurimorum, qui, rebus adversis fracti, ac seculi vanitatibus rursus inescati, ab amicitia, antehac cum ipso inita, atque a doctrinæ cœlestis amore ac integritate, recesserant.

Quæ cum ita sint, *ovâ Pesa* non parum lucis affundit ipsi loco nostro. Ostendit enim causas gravissimas, cur Timotheus incorruptam doctrinæ cœlestis conservationem sibi habere debeat commendatissimam; quarum prima, ut cum Rhetoribus loquar, desumpta est a *facili*, h. e. a præstantissimo charismatum spiritualium dono, quo instructus utique citra difficultatem posuit, & sibi ipsi, & doctrinæ deposito, digne attendere ac invigilare: secunda ab *æquo*; nimirum æquum esse, ut accepta integre conservet, & in hoc conservandi tuendique studio, Pauli, e militante ad triumphantem Ecclesiam mox emigraturi, exemplum imitatus, etiam sub variis afflictionibus in pervigili doctrinæ Evangelicæ studio ac custodia constanter perseveret. Accedit causa hujus curæ tertia e loci nostri consequentibus a *neccessario* desumpta. Pseudapostolorum, aliorumque fidei christianæ simulatorum, aut desertorum, jam tum existere cœperat larga seges: a quorum perfidia ac insidiis cum non parum periculi immineret doctrinæ puriori; omnino erat necessarium, hujus tuendæ ornandæque curam gerere eo majorem ac constantiorem.

Hæc de loci nostri connexionem; e quibus facile constare potest, quam arctum hic respectum habeat ad scopum hujus episto-



pistola<sup>3</sup> generalem, & quantopere cum eodem conspiraret. Nimirum sicut *occafio* hujus epistolae scribendae erat instans Pauli mors: sic ejus *scopus* ac *argumentum* est, epistolico hoc alloquio, tanquam cygnea cantione, & testamento quodam, doctrinam Apostolicam, a Christo acceptam, & Timotheo traditam, obfignare, & hunc, uti & alios fideles Verbi ministros, & simul horum auditores, ad pium zelum denuo accensos, ad christianismi sinceritatem ac constantiam tenerrimo cum affectu adhortari. Cum quo totius epistolae scopo generali qui locum nostrum specialem confert, omnino praecipuum in hoc illius nervum deprehendit, verbis propositum *ἐμφαιτικώτεροις*. Quibus hac ratione breviter expeditis, sequitur

MOMENTUM loci nostri SECUNDUM, seu SENSUS ejusdem LITTERALIS, *ἀναλυτικῶς* considerandus. Hic quidem ex haecenus dictis jam tum generatim constat, hac THESEI contentus: *Paulus commendat Timotheo conservandae doctrinae caelestis studium*. Notandum tamen est, hanc commendationem fieri duabus propositionibus, quarum una alteram declarat. Prior habetur v. 13. *ὑποτίπῳσιν ἔχει* &c. posterior v. 14. *τὴν καλὴν παρακαταθήκην Φύλαξον* &c. Videmus, has diversas propositiones esse plane ejusdem, saltem cognati admodum, sensus. Unde hermeneuticae sacrae cultoribus suppeditatur exegetica magni momenti observatio de sermonis sacri proprietate, quae est, saepe *rem eandem diversis modis verbisque exprimere atque urgere*. Cujus idiotismi causam inquirenti statim non una est in promptu. Scilicet rei ipsius gravitas & magnitudo, Apostolici affectus abundantia, nec non praxeos, quae urgebatur, summa & necessitas & utilitas. Etenim doctrina Evangelica est thesaurus, quo uti nihil est pretiosius, sic etiam nihil esse debet carius. Hac pia justaeque sollicitudinis affectum movebat in Paulo, jam jam morituro; affectus vero invalescens, atque ad impigram praxin tendens, non potest non verba adaptare rebus h. e. pondera ponderibus; ponderibus rerum pondera verborum, eaque per propositiones *ἐξηγητικῶς* geminatas, De singulis seorsum; at quam brevissime.



Propositio prior, v. 13, contenta, rursus commode in tres propositiones resolvitur; quarum 1. *Timotheus a Paulo accepit doctrinam Evangelicam.* 2. *Hujus doctrine summa est Fides & Charitas.* 3. *Timotheus hanc de fide & charitate acceptam doctrinam debet conservare integram.* Notandum vero hic est, voces, ἐν πίσει ἢ ἀγάπῃ, referri posse vel ad antecedens verbum ἤκουσας, quo cum proxime coherent; ut sensus sit: *audivisti seu percepisti a me doctrinam non solum corporis, sed etiam animi auribus, ad ὑπακοήν patentibus, i. e. fide & charitate, seu ita, ut inde fides & charitas fuerit accensa: Vel commode referri ad voces, ὑγιαίνοντων λόγων, ut significetur, sermonum sanorum duo præcipue esse capita, seu eorum centrum totumque complexum esse in fide & charitate. Quod si has voces referre volueris ad priores: ὑποτύπωσιν ἔχει, sensus, conservandi modum respiciens, eodem fere recidet; siquidem ejusmodi est reliquorum structura, ut de eorum sensu commode participant.*

Propositio posterior, v. 14, contenta, prioris est declaratio. Nam doctrinam, quam priore commate vocaverat ὑγιαίνοντας λόγους, hic vocat παρακαταθήκην, depositum: τὸ ὑποτύπωσιν ἔχει explicat per τὸ φύλαξον, addito custodiendi modo & auctore principe, qui est *Spiritus S. inhabitans*, per cujus unctioem ac virtutem fieri possit ac debeat purioris doctrinæ custodia. Hæc hæctenus de sensu hujus loci litterali, & structura ejus Logica, tanquam cortice; quem frangat, necesse est, qui nucleum vult edere. Sequitur ergo

MOMENTUM loci nostri TERTIUM, quod merito circa locutionum, vocumque singularum, EMPHASIN ac δένωσιν eruendam occupatur. Hic quot verba, tot pondera deprehendimus. Primum vero se offert vox λόγος seu λόγων, quæ, prætermisissis nunc philologumenis aliis, in se ac generatim considerata, significat *causam & effectum*, h. e. rationem & sermonem, quæ duo conjunctissima sunt. Etenim ratio in actu, seu agitatione, constituta, ratiocinatione sua intra se necit sermonem; siquidem cogitare nihil est aliud, quam tacite secum loqui, uti etiam fert plurimarum linguarum idiotismus: internus

vero



vero hic mentis sermo, quando se per oris organon prodit effectū suo, seu articulata voce, gignitur sermo externus. Unde vox λόγος, ad *verbum Dei* applicata, indicat internum æternumque Dei de salutis nostræ œconomia consilium, ipsā externa voce patefactum; ideoque verbum Dei externum per se est sermo longe certissimus ac solidissimus, utpote interno Dei consilio fundatus. Et hic λόγος, seu in numero sensuque multitudinis, hi λόγοι dicuntur ὑγιαίνοντες, *sani*; qua voce ἐμφατικῶς itidem notatur causa cum effectu suo, seu ad effectum suum tendens, i. e. verbi natura ac indoles, per se non solum sana puraque, sed etiam sanandi virtutem habens. Idem deprehendimus in bonæ notæ cibus, quos, uti & herbas ac olera, quando vocamus *sanos*, germ. gesunde Speisen / gesunde Kräuter; naturam ipsorum sanam beneque constitutam ita exprimimus, ut ejusdem effectum, seu sanitatem nostram, *salubritate* ipsorum juvandam, aut restituendam, præcipue respiciamus. Sic verbum Dei, animæ nostræ alimentum, est per se, uti purissimum, sic etiam saluberrimum, ad vitam fidei ac pietatis praxin in nobis excitandam atque augendam. Unde Apostolo familiare admodum est, verbum Dei hoc suæ puritatis & salubritatis encomio ornare, seu vocare λόγον ὑγιῆ Tit. II. 8. (ex quo διδασκαλίας ἀδιαφορία, ibid. v. 7.) item διδασκαλίαν ὑγιαίνουσαν 1. Tim. I. 10. conf. 2. Tim. IV. 3. Tit. I. 9. c. II. 1. 1. Tim. VI. 3. item hujus salubritatis effectum urgere in christianis, seu exigere, ut sint ὑγιαίνοντες τῇ πίστει, Tit. II. 2. & abstineant a genere doctrinæ morbido, τῶ νοσερῶ τῶν νοσούντων, 1. Tim. VI. 4. Conf. Tit. I. 13. ubi Tito injungit Paulus, ut heterodoxos ac impios (quorum morbida & doctrina & vita, cancri seu gangrænæ instar, contagio suo noceat 2. Tim. II. 17.) severiori elencho ad saniores mentem, ἵνα ὑγιαίνωσιν ἐν τῇ πίστει, adducat.

Afferit vero Paulus, Timotheum ejusmodi sanos ac salubres sermones ex ipso audivisse, ὧν, inquit, παρ' ἐμῆ ἤκυσας. Ubi audiendi vox, in relatione (ut cum Logicis loquar) posita, duo continet ac indicat, h. e. sistit *Paulum doctorem*, & *Timotheum auditorem*, seu discipulum. Paulus, postquam per

ve-



veram conversionem discipulus factus erat Jesu Christi, publicus doctor constitutus, ex unctiōne Spiritus Sancti, eaque plane extraordinaria, oeconomica salutis viam commonstravit in regre ac incorrupte, ita ut per eam incedentibus se hodegum ac comitem præberet, non minus vitæ exemplo, quam doctrinæ typo conspicuum. Sic docuit Paulus in genere omnes, ut ex ejusdem vita & epistolis abunde constat, & speciatim atque ἀνεπίθετος Timotheum, itinerum suorum comitem, Act. XVI, 1. 2. 3. c. XVII, 14. 15. c. XIX, 22. XX, 4. e suo in Evangelio admistrō, συνεργῶ, Rom. XVI, 21. 1. Thess. III, 2. conf. 1. Cor. I, 1, &c. futurum Ecclesiarum Episcopum, 1. Tim. I, 13. Nec indignus fuit, ut hinc simul constat, tam egregio doctore auditor Timotheus; quippe qui, etsi jam inde a teneris in viis Domini a pia avia ac matre erat institutus, 2. Tim. I, 5. ac sacris litteris innutritus, 2. Tim. III, 15. 1. Tim. IV, 6. cum summa tamen discendi aviditate ab ore Pauli pependit; ἤκουσε, *audivit*, non solum auribus corporis, sed præcipue mente, eaque non tantum ad litteram, seu litteralem dictorum sensum, attenta, sed etiam ab ipso Spiritu S. per veram conversionem sub eo recepta. Hanc ex institutione privata & domestica attulit Timotheus ad disciplinam Pauli, ideoque, quæcunq; audivit, per Dei gratiam intra animum suum ita admittit, ut ἀκοῇ in ὕπακοῇ transeunte, ex unctiōne Spiritus S. audita luculenter ac salubriter intellexerit, fidesque ac charitas, jam tum accensa, in ipso fuerit insigniter corroborata. Et quia habenti digneque utenti, secundum Christi promissionem Matth. XIII, 12. datur, ut superabundet, ejusmodi audiendi dexteritas per διδασκαλία γυμνασµένα Ebr. V, 14. sensim egregium alios cum fructu docendi habitum contraxit. Qua methodo cum audivisset Theologiam Timotheus, ipsum Paulus merito vocare potuit τέκνον γνήσιον, filium genuinum 1. Tim. I, 2. & 18. 2. Tim. I, 2. imo ἰσόψυχον, in paucis carissimum, Phil. II, 19. 20. qui bonam, quam acceperat, doctrinam toto animo sincere erat secutus 1. Tim. IV, 6. Hæc fuit vis, & hic fructus discipline in Timotheo. Audivit, ut Lydia, aperta a Deo mente Act. XVI, ut discipuli Emmau-



⊙ (9) ⊙

Emmauntici cum animi ardore, Luc. XXIV. Noverat enim, se ita versari in schola hominis, ut simul esset in schola Dei, futurus θεοδιδάκτῃ, probe conscius, in schola Christi *discere*, esse, eum, doctrinæ salubritate in vitam conversa, *imitari*. Matth. XI, 29. Quæ cum sit emphasis vocis, ἠκούσας, & quidem πᾶς ἐμὲ, hinc egregie confirmatur ille, amplissimi per Scripturam usus, canon hermeneuticus, quo *verba sensuum ac notitiæ*, in genuino suo sensu accepta, *semper intelligenda sunt cum complexu suo suaque latitudine*, h. e. cum affectu & effectu.

Hauerat vero Timotheus ex institutione Pauli totam doctrinæ salutaris analogiam, ac structuram, qua non solum singulorum dogmatum argumentum, indolem & præstantiam noverat, sed etiam accurate perspexerat, quisnam unius cuiusque ad reliqua esset respectus, quæ cum iisdem in salutis negotio compages, quanta necessitas ac utilitas. Atque ita hæc fidei analogia, iustaque συμμετρία, simul salutis oeconomiam suppeditavit, commonstrans, quo ordine, qua prudentia, sinceritate ac fidelitate, bono oeconomio in domus Dei, quæ est Ecclesia, administratione atque directione versandum sit. Et hanc oeconomiam doctrinæ analogiam, seu analogicam ejus structuram, ἐμφατικῶς vocat ὑποτύπωσιν, i. e. exemplar vivum, seu vivam formam, imaginem ac representationem, audientis, qui in doctrinæ typum, secundum Rom VI, 17. traditus, seu per doctrinam transformatus est, animo impressam, & ad imitandum propositam, ac præcipue suo ἀρχετύπω, Scripturæ sacræ, convenientem, tamque evidentem, ac si figuris mathematicis sit depicta, ac pictoris penicillo adumbrata, aut potius vivis coloribus inducta, seu ad vivum expressa.

Addit vero Apostolus duo præcipua ὑποτυπώσεως capita, quæ sunt *fides & charitas*, seu *credenda atque agenda*. Ponitur enim ὑποτύπωσις ἐν πίστει καὶ ἀγάπῃ. Fidei autem voce non sola tantum dogmata, in se considerata, intelligi, sed omnino simul respici ad donum ac habitum fidei, a Spiritu S. poenitentibus collatum, inter alia ipsius Pauli ac Timothei, fide hac insigniter instructorum, exemplum indicat. Et ad Timotheum

B

quod



quod attinet, ejus fidem, quatenus habitus erat credendi, Paulus in hac ipsa epistola c. I, v. 5. vocat ἀνοπόρητον, simulationis expertem, sinceritatis vero genuina plenissimam, quæ, seu per quam Christus, totum animum ipsius, templi instar, inhabitet. Eadem est vis vocis ἀγάπης, utpote qua universa Theologia moralis ita comprehenditur, uti intra & extra docentis animum est e fidei habitu ac gratiæ viribus deducta, ipsaque omnino practica. Et hoc sensu hæc ἀγάπη i. Tim. I, 5. dicitur ἐν καθαῆς καρδίας ἢ συνειδήσεως ἀγαθῆς, ex pura mente & conscientia bona protecta, & in eadem locum habens. Et quemadmodum ibidem, uti & hoc loco, charitati παραθήλας addit πίστιν ἀνοπόρητον; sic ὑποτύπωσης curam vocat τέλει παραγγελίας, præcepti summam. Utraque & fides & charitas, dicitur ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ i. e. quæ fundata est in Christo Jesu, & efficitur communionem cum Christo, ac in eodem recepto quam suavissime acquiescit: id quod est præcipuum fidei officium, cujus fructum capit sincera charitas. Extra communionem cum Christo nulla est fides, nulla charitas; siquidem in ipso secundum Gal. V, v. 6. nihil valet, nisi fides, & quidem necquam imaginaria, sed vera, δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη.

Hæc sanioris doctrinæ de fide & charitate ὑποτύπωσης quo loco habenda, quæve cura tuenda sit, indicat præceptum, verbo ἔχει expressum: ὑποτύπωση, inquit Paulus, ἔχει ὑγιανόντων λόγων, formam habeto sanorum verborum. Cujus vocis notandus est idiotismus, una cum emphasi. Ponitur enim, uti fieri aliisque scriptoribus familiare est, simplex ἔχειν pro composito κατέχειν, habere seu tenere pro continere ac retinere, uti i. Cor. XV, 2. dicitur. Sic Tit. I, 9. Apostolus exigit, ut episcopus sit ἀντεχίμενος τὰ κατὰ τὴν διδασκίαν πιστῶν λόγων, tenax ejus, qui secundum doctrinam est, fidelis sermonis. Imo ut quilibet Christianus sit ἐπέχειν λόγων ζωῆς, observans sermonem vitæ. Phil. II, 16. Eodem sensu verbum simplex ponitur alibi, & quidem in locis parallelis, v. g. i. Tim. I, 19. ἔχων πίστιν ἢ ἀγάπην συνειδήσει. item c. III, 9. ἔχοντας μυστήριον τῆς πίστεως ἐν καθαρᾷ συνειδήσει. Conf. i. Tim. IV, 16. ἔπεχε σεαυτῷ ἢ τῇ διδασκαλίᾳ.

corp

8

δασκα-



δασκαλία, attende tibi ipsi & doctrinæ. Itaque quando Paulus dicit ἔχε, idem dicit, quod Christus Philadelphienſis Eccleſiæ Angelo, κράτει ὃ ἔχεις, firmiter tene, quod habes, ut nemo auferat coronam tuam, Apoc. III, 11. Conf. v. 2. 3. Præter verbi compositi notionem, τὸ ἔχε adhuc continet ſignificationem bene ac digne utendi. Id enim exigit res ipſa, & rei conueniens Pauli affectus; ſiquidem ejuſmodi doctrinæ cura commendatur, per quam ipſe poſſeſſor præcipue proficiat, & quidem ἐν πίσει καὶ ἀγάπῃ. Hoc eſt, λόγον κατέχειν ἐν καρδίᾳ καλῇ καὶ ἀγαθῇ, καὶ καρποφορεῖν, fructum ferre ἐν ſapientia, quod de terra bona dicitur, Luc. III, 17. Hac ratione qui habet ὑποτύπωσιν, illi dabitur, ut abundet, Matth. XIII, 12. Ad bonum dignumque ſalubrium ſermonum uſum, per verbum ἔχε commendatum, adhuc pertinet orthodoxa ipſius ſcripturæ, ad quam, tanquam ἀρχέτυπον, ipſe Paulus ſubinde reſpexerat, interpretatio ac doctrinæ proſtitio; qua quis, verbum Dei μὴ καπηλεύων, loquatur, ὡς ἐξ εἰλημενείας, ὡς ἐκ Θεοῦ, κατενώπιον τῆς Θεοῦ ἐν χειρῶν, 2. Cor. II, 17. Hac ratione Timotheus, digne doctrinæ hypotypoſi uſus, factus eſt ipſe τύπος τῶν πεισῶν ἐν λόγῳ, 1. Tim. IV, 12.

Hæc de commate priori: ſequitur ejuſdem declaratio commate poſteriori, non minus quidem emphatica, paulo tamen breuius, ne Programmatis modum excedam, excutienda. Hic ὑγιαίνωντων λόγων ὑποτύπωσιν vocat παρακαταθήκην, & quidem καλὴν, egregium depositum. Id quod ſupponit deponentem; qui eſt ipſe Deus, omnis boni auctor, optima quæque nobis concedens, tum ipſe, tum per electa ſua organa. Ipſa depositi vox indicat doctrinæ depositæ præſtantiam. Non enim, niſi prætioſa & cariffima, ſolemus deponere apud alios; ſiquidem rerum vilium jactura eſt facilis, ideoque etiam cura aut nulla, aut negligentiior. Hoc probe intellexit David, quando paſſim, in primis Pf. CXIX. cœleſtis hujus depositi, tanquam pretioſiffimi theſauri, excellentiam admiranda elogiorum varietate celebrat. Notat vero depositi vox ſimul omnia Spiritus S. cha-



rismata, una cum instillatione doctrinae divinitus collata; inprimis fidem, spem ac charitatem, in quorum complexu est obsignatio gratiae & pignus futurae gloriae. Unde Paulus, in proxime antecedentibus hanc hujus vocis *δένασιν* expressurus; *Scio, inquit, cui crediderim, certusque sum, quod is potens sit DEPOSITUM meum custodire in illum diem.* Ubi, quando Apostolus depositi custodiam Deo tribuit, & nihilo tamen minus eandem ipsi Timotheo injungit, indicat archissimam gratiae divinae & fidelitatis nostrae cognationem ac subordinationem. Eadem autem vis inest verbo *Φύλαξον*, quam τὸ ἔχει precedenti versu continere demonstravi. Conf. 1. Tim. VI, 20. Et quia depositorum non solum cavenda est jactura plena, aut permutationio, sed etiam corruptio, haec autem fieri solet vel per demutationem, vel per immutationem; depositi coelestis custodia quid requirat, facile constat. Ostensum quoque est supra, hoc gratiae depositum alimenti spiritualis locum usumque continere. Unde rursus eam custodientis curam requirit, quae, ne quo heretodoxiae atque impietatis veneno inficiatur, suumque & saporem & salubritatem quaecunque ratione amittat, studiose caveat; & allaboret, ne unquam desint boni oeconomi, qui hunc animae cibum aliis digne dispensent. Unde loco nostro, declarationis gratia, paulo post subjungit sequentia: *quae audivisti a me, haec commenda* (*παράδωκε*, unde, nimirum a *παρατιθένα*, *παράδωκεν* denominationem suam habet) *fidis hominibus, qui erunt idonei, ut alios quoque doceant.* 2. Tim. II, v. 2.

Cum vero ad haec digne praestanda, prudentia humana una cum viribus humanis minime sufficiat, sed continuus gratiae affluxus requiratur; Apostolus hanc depositi custodiam ita tribuit Timotheo, ut simul totum negotium referri velit ad custodem principem, ipsum Spiritum S. eumque non *adflentem* modo externe, nec aliquantisper, & quasi precario, hospitantem, sed nos *inhabitantem*, atque ita saluberrima ac constanti sua praesentia atque operatione beantem. Hic vero quem, ut templum atque officinam suam, inhabitat, eum lumine ac virtute sua ita ungit, ut purget a pravis affectibus, errorum ac lo-

goma-



gomachiae causis, & ex ingenerato genuino veritatis amore, purum ipsius zelum subministrer. Hac ratione Spiritus Sanctus existit, quomodo Apostolus paulo ante eum appellavit, πνεῦμα δυνάμειος καὶ ἀγάπης, καὶ σωφρονισμῶς. Et sic thesauri coelestis (quo elogio exornat Paulus γνώσει τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ) conservatio non e testaceis, quibus continetur, vasculis, sed ex virtutis Dei eminentia emanat. 2. Cor. IV, 7.

His fundamenti loco ἐξηγητικῶς præmissis, pergo ad moniti hujus Paulini applicationem, scilicet delineationem methodi, in studio Theologico, imprimis Theorico, observandæ; respectu habito ad doctorum atque auditorum in academiis officia, pro expositi loci indole certis aphorismis seu axiomatibus, inter se pro substrata materia cognatis quidem, attamen omnino diversis, describenda.

### OFFICIA DOCTORUM.

I. *Genuinus Theologiae doctor merito Paulum refert, etsi non Apostolatu, tamen inter alia præcipue mente ad Deam vere conversa; ideoque, doctrinæ Evangelicæ fundamenta traditurus, ante omnia ipse per veram conversionem in Christo fundatus sit, necesse est.* Sic τοῦ Θεοῦ digne poterit docere θεοσεύς: ipse mente sanatus poterit eo purius, certius ac salubrius, tradere sanam doctrinam, atque exhibere typum fidei & pietatis. Conf. 2. Tim. III, 10. Sin minus, multa quidem cognoscere ac tradere poterit vera, nec plane sine fructu; ad integram vero salutis oeconomiam digne habendam, aliisque per omnia incorrupte tradendam ac medice dispensandam, multo est ineptissimus.

II. *Genuinus Theologiae doctor in docendo omnem doctrinæ ὑποτύπωσιν refert ad archetypum, Scripturam Sacram, ideoque studium Theoricum non solum Exegetico superfruit, sed etiam hoc illud subinde communit atque illustrat.* Sic docuerat Paulus; unde, quando Timotheo doctrinæ hypotyposin commendat, eundem simul ad archetypum, sacras litteras, remittit, Conf. c. III, 16.

*Genuinus Theol. doctor in docendo servat perspicuitatem,*



Et in ipsis doctrinis ordinem; ideoque eas, solide cognitae, proponit secundum analogiam ac symmetriam suam oeconomice atque architectonice, ita ut genuina universorum dogmatum compages simul singulorum ordinem, locum, indolem atque ad reliqua respectum harmonice commonstret. Quae docendi forma Paulo ὑποτύπωσις dicitur, nec aliena est a systematica & synoptica Theologiam docendi ratione, per se considerata; si haec sit genuina, pura, suoque ἀρχετύπω, Scripturae sacrae, exacte conveniat.

IV. Genuinus Theologiae doctor in Theologia, imprimis Thetica, non affectat artem, nec sectatur pseudophilosophum intricatas ac minutias; sed simplicitatem christianam, Pauli, Timotheum instruensis, methodum secutus; siquidem docendi ἀπλότης & ἀκρίβεια secum minime pugnant, sed quam optime conspirant.

V. Genuinus Theologiae doctor in Theologia Thetica non est νοσῶν περὶ ζητήσεις & λογομαχίας, circa quaestiones, thesesque ac inaniam disputationum pugnas, morbidus, i. Tim. VI, 4. sed a doctrinis morbidis abstinens, cum Paulo non nisi sanas ac salubres, λόγους ὑγιαίνοντας, docet. Et cum ipsarum salubritatem non sola theoria, sed viva etiam experientia cognitam habeat; reliquis haud neglectis, eas urget quam maxime, quarum vis in restitutione nostri maxime est conspicua.

VI. Genuinus Theologiae doctor doctrinam caelestem agnoscit pro deposito suo ac thesauro pretiosissimo, ideoque ejus custodiam sibi habet commendatissimam. Nam quod mundo est sol atque sal, id christianismo est doctrinae veritas. Quod cum probe intelligeret Paulus, τὸ ἔχει ὑποτύπωσιν, & Φίλαξον παρακαταθήνην ita injungit aliis, quemadmodum utrumque ipse exercebat.

VII. Ea genuina est in doctore doctrinae custodia ac cura, quae conjuncta est cum practica doctrinae applicatione, ad ipsum docentem directa. Utrumque quemadmodum in Pauli exemplo conspicitur, atque e praesenti loco, qui in custode fidem supponit ac pietatem, sequitur; sic res ipsa omnino requirit. Alia enim est coelestis depositi ratio, alia terreni. Hoc quo magis utimur,

iam,



mur, plerumque eo magis abutimur, seu usu reddimus id minus aut deterius; siquidem servandum erat integre suo domino: illo autem quo magis utaris, imo fruaris, eo illud reddideris auctius ac luculentius; quo autem minus & infidelius, eo magis minues aut depravabis.

VIII. *Genuini doctoris scopus est, ut auditores per sanorum sermonum ὑποτύπωσιν vere illuminentur & convertantur, ideoque fiant non solum docti, sed etiam sancti; si quidem citra sanctimoniam non admittitur vera illuminatio, nec genuina relinquitur aut salva manet doctrinæ ὑποτύπωσις.* Hæc autem in vero Theologiæ studio utramque curam necessario requirit ac supponit.

IX. *Genuinus Theologiæ doctor in Theologia Thetica non solum dogmata ad praxin sibi ipsi, & auditoribus suis, sapienter accommodat, sed etiam credenda & agenda merito quam arctissime conjungit.* Magna enim hujus conjunctionis vis est ad convictionem auditorum. Id noverat Paulus: unde ejusmodi commendat doctrinæ formam, docendique methodum, quæ exhibeat ὑποτύπωσιν fidei & charitatis.

X. *Boni doctoris est, non solum dogmata tradere ac servare incorrupte, verum etiam certas verborum ac locutionum formas, rei convenientes, & partim in scriptura usitatas, partim ab Ecclesia receptas, & scripture ipso sensu conformes, ac per se omnino salubres, tueri, evitata omni & νενοφωρία & νενοφωρία insalubri.* Huc simul respicere Paulum in commendatione ὑποτυπώσεως sanorum sermonum, manifestum est, imprimis consideranti, quantopere alias urgeat τὸ αὐτὸ φερεῖν, καὶ τὸ αὐτὸ λέγειν.

XI. *Genuinus Theologiæ doctor in dogmatibus probe novit discernere primaria a secundariis, seu ea, quæ ad christianismi structuram & praxin vel magis, vel minus, necessaria sunt.* Etenim cum hæc constet fide ac charitate, pro eo nexu ac influxu, quem quævis doctrina ad fidem & charitatem, vel excitandam, vel alendam ac conservandam, habet propiorem

ac



ac majorem, vel remotiorem minoremque; suum singulis dogmatibus locum ac pretium statuit.

XII. *Bonus doctor non remittit ab incorrupto tuende doctrinae studio, ab eodem nec per immixtas afflictiones, nec per ψευδοδιδασκαλων insidias, abducendus.* Exemplo nobis est Paulus, quem pericula hac in parte non remissioem, sed vigilantiorrem fecerunt; siquidem ob ea ipsa, ut e connexionem supra vidimus, doctrinae purioris custodiam suo ipsius exemplo adeo urget.

XIII. *Doctorum, qui Paulum imitantur, est officium, Ecclesiae mature Timotheos formare, qui doctrinae depositum ea methodi dexteritate ac sinceritate, quae id ipsi acceperunt, temporis progressu rursus aliis tradant.*

XIV. *Doctorum est, formati per ministerium suum Timotheis, etiam postquam hi, e disciplina dimissi, jam Ecclesiae praefecti sunt, data occasione, calcas subdere in servando fidei ac pietatis deposito, olim tradito.* Exigit enim architoris amicitiae, quae ipsi cum ejusmodi Timotheis intercessit, lex, ut hic etiam Paulum imitentur.

XV. *Omnis bonus doctor est & manet bonus Spiritus Sancti discipulus, quo ipse magis magisque in christianismo, hujusque in primis judicandi prudentia, & praestandi fidelitate, proficiat.* Sic docuit Paulus. Et haec est ratio, cur ad Spiritus Sancti disciplinam disertis verbis remittat, aut potius in eadem perpetuo permanere cupiat, Timotheum.

XVI. *Bonus doctor in officio suo, habitus suae, aut fructuum, inde redundantium, respectu, nihil tribuit sibi ipsi, suisque viribus aut meritis, sed omnia in solidum accepta refert Spiritui Sancto; utpote cui etiam depositi custodiam proprie adscribit Paulus, Φύλαξον, inquires, παρακαταθήκην δια πνεύματ<sup>o</sup> αἰῶν<sup>is</sup>.*

XVII. *Bonus doctor in alia officii, ut vocant, gratia non acquiescit, quam quae est ex INHABITATIONE Spiritus Sancti; in alia non recumbit gratia, quam qua Spiritus Sanctus fidem & charitatem accendit.* Hanc expertus erat Paulus, una cum Timotheo, in receptione atque administratione hy-

poty-



potyposeos atque depositi, & ordinarie experiuntur adhuc omnes boni doctores.

OFFICIA AUDITORUM.

I. *Bonus Theologiae cultor merito ad disciplinam Academicam affert animum, institutione domestica & scholastica bene preparatum, & quidem non solum in lingvis aliisque scientiis, sed imprimis in sacrarum litterarum studio & sinceræ pietatis exercitio.* Ejusmodi animum Timotheus, fide ac pietate probe jam tum imbutum, secundum v. 5. conf. 2. Tim. III, 15. e disciplina domestica attulerat ad Scholam Pauli: unde in ea eo luculentius potuit proficere. E contrario misera res est, ad lectiones Academicas accipere homines, sacrarum litterarum, primorumque christianissimi elementorum, rudes, saltem a veritatis gustu ac pietatis praxi adhuc plane alienos.

II. *Bonus Theologiae auditor ad minimum a primo studiorum Academicorum tempore annititur esse Timotheus, h. e. τιμῶν τὸν Θεόν, timens Deum ex animo, quando antea institutionis, aut fidelitatis suæ, defectum non sine justo dolore agnoscit.*

III. *Bonus Theologiae cultor non est ἀνοδιδακτός, quando viva instituentium voce, quæ muta longe docet efficacius, frui potest.* Id quod agnoscens Timotheus, sola sacrarum litterarum, aliorumque utilium librorum, lectione non contentus, ipsum Paulum sedulo audivit. Quod liquet e vocibus ἤκουσας παρ' ἐμοῦ.

IV. *Futurus Timotheus querit Paulum, auditor bonus bonum doctorem.* Etenim viva vox ut prodesse, sic etiam obesse potest plurimum. Unde studiosus, ἀνοδιδασκαλίαν fugiens, ac Timothei imitandi studio ductus, merito sibi querit vocem Pauli, seu Paulo σύμφωνον, ἐτεροδιδασκαλῶν νενοσηῖα evitata.

V. *Bono Theologiae cultori schola Pauli, doctorumque Paulinorum, simul est schola Christi ac Spiritus Sancti.* Paulus enim ut docuerat, sic didicerat Timotheus, per Spiritus, cui expresse omnia accepta refert, inhabitantis gratiam.

C

VI. Theo-



VI. Theologia cultor, qui in schola Christi ac Spiritus Sancti divina (cui humana subordinatur) digne audit, is singulis mentis facultatibus veritati, ac simul ipsi Deo, conjunctim panditur ac patefit; qui discit, is doctrinam celestem cum efficacissima Spiritus Sancti gratia, tanquam saluberrimam medicinam patienti animo admittit, & hinc interius sanatur, h. e. magis magisque illuminatur ac renovatur. Sic audiverat, sic didicerat Timotheus: & hanc harum vocum δεινωσιν in sacris esse ipsis propriam, supra in exegefi ostensum est.

VII. Bonus Theologiae cultor scholam Spiritus Sancti non deserit cum schola humana, sed, hac relicta, perpetuo sub institutione & disciplina illius vivit, tandemque hoc respectu movitur bonus Academicus. Id quod, sicut ipse revera praestitit, ut sedulo praestaret Timotheus, tota Pauli, mox cathedram Apostolicam per instantem ἀνάλωσιν relicturi, adhortatio intendit.

VIII. Cultori Theologiae non sufficit, unam atque alteram doctrinam seorsum cognoscere, sed tota doctrinarum salubrium ὑποτύπωσις ac structura digne percipienda est. Unde quanta in collegiis Theologicis assiduitas, quam sedula meditatio, iisdem domi interjicienda, requiratur, facile colligitur.

IX. Bonus Theologiae cultor non solum doctrina vera, sed etiam phraseologiae sanioris forma innutritur, ne, dum bene sentit, incaute aut insalubriter loquendo, imperitis aut malevolis reddatur suspectus, aut fiat offendiculo. Certe hanc cautionem affert ὑγιαίνοντων λόγων ὑποτύπωσις quae simul in phraseologiae synonymiam & exegefin verborum a discrepantia rerum sapienter docet discernere.

X. Nec, ceteris ita paribus, bonus Theologiae cultor dimittit formas loquendi saniores, praecipue ἡρώως biblicas, etiamsi invidiae sint, & ab heterodoxis in abusum trabantur. Hic enim quantum remitteret, tantum detraxerit veritati. Φύλαξον Φύλαξον, acclimat Paulus.

XI. Theologiae cultori non solum fugienda est falsa, sed etiam curiosus, oziosus & infrugifera doctrina, nec ad fidem, nec ad pietatem quicquam conferens. Siquidem ipsi tantum ὑγιαίνοντων λόγων, salubrium sermonum, hypotyposis commendata est.

XII. Non exiguum ἀκεχέαιας & prudentiae Theologiae accessionem capit is Theologiae studiosus, qui, quicquid in Theicis percipit, statim refert ad fidem & pietatis praxin. Id fecit Timotheus, cum insigni habilitatis suae incremento.

XIII. Nec haurienda tantum est Theologiae studioso purioris doctrinae hypotyposis, sed etiam hausta a fidei & vitae corruptelis fideliter est custodienda, instar insignis depositi, imo etiam posteris tradenda. Conf. c. II, 2. Accurata enim aliquando reddenda erit ratio de concediti depositi custodia & usura, quando Deus fructum ejus reposcet. Certe quo quis deposito in sui & aliorum adificationem fideliter utitur, eo dignius id asservat & collocat, aliquando a depositore Deo augendum, & in aeternum peculium tradendum. Conf. Matth. XXV, 14. seqq.

XIV. Non



XIV. Nemo autem doctrina depositum per omnia incorrupte servabit, nisi ad exemplum Timothei in pura conscientia, h. e. non minus charitatis, quam fidei tenace. Conf. i. Tim. III, 9. Ergo falluntur, qui hunc thesaurum recipiunt folis libris, aut in collegiis excipiunt tantum calamo, aut manuscriptum in chartis asservant.

XV. Ut nemo totam fidei analogiam sine Spiritu S. potest haurire, sic eandem nec citra hujus gratiam potest incorrupte servare. Ex hujus enim unctio-  
nem est genuinum veri falsique discrimen, seu donum *δωρεῶν* (cog): nec non virtus ac robor ad falsi ac pravi fugam, verique ac recti custodiam ac propagationem.

XVI. Nemo autem hanc Spiritus Sancti gratiam sibi polliceri potest, nisi eundem, cum Paulo & Timotheo, intra se tanquam officinam ipsius, habitare sinat. Ergo, qui aliquando digne in Ecclesia, tanquam domo Dei, versari vult, ipse prius sit domus *ἐνοικεῖν* (cog) Spiritus Sancti, necesse est.

XVII. Bonus auditor non offenditur doctoris sui afflictionibus, nec iisdem haustis ab ipso doctrina sinceritatem ita metitur, ut ob multorum contradictiones a se vel recepta veritatis studio remittat. Id quod ne faceret Timotheus, Paulus, variis calamitatibus pressus, urget τὸ *ἔχει* & *Φύλαξον*, & quidem addens, *οὐδ' ἀποκρίσῃς*, quia nosci, quod aversati fuerint me omnes: item, *μη' ἐπαύσῃς* (cog), ne te pudeat testimonii Domini nostri, neque mei &c. v. 8.

XIX. Boni auditoris nota est, etiam post disciplinam Academicam, doctorum sitorum, quos genuinos ac fideles expertus est, nutum sequi, eorumque exemplo ac cohortatione, in ipsorum officii publici studio, subinde incitari ac corroborari. Cujus rei illustre exemplum hic præbet Timotheus. Tandem notetur, Studium Theiticum, recte excultum, viam monstrare, qua morbidæ Theologia heretodoxorum discernatur a vera & salubri.

Hæc de methodo Theologiam docendi discendique genuina ac Paulina. Quæ quem in finem proponantur, ignotum haud est. Etenim singulari, quam hic omnino subesse credo, Dei providentia, nec non Serenissimi ac Potentissimi Borussiae Regis atque Electoris Brandenburgici, FRIDERICI, Domini mei longe clementissimi, voluntate ac iussu e Schola & Ecclesia Berolinensium Fridericianæ ad Academiam hanc Fridericianam accedo, Professoris Theologiæ ordinarii munus, quod mihi clementissime demandatum est, capessiturus. Quod quam arduum sit, imprimis hac fluctuantis Ecclesiæ tempestate, cogitanti mihi, mearumque virium tenuitatem expendenti, non immerito horret ac jacet animus, hæretque illud subeundi *πρόθυμα*. Verum enim vero ad spem bonam erigor ipso hoc, quod explanavi, monito Paulino, quo doctores, suæ sibi imbecillitatis demisse confisos, ad Spiritum Sanctum, omnis & *ἐκωνότητος* (cog) & fidelitatis auctorem optimum ac certissimum, Apostolus remittit. Exigo singulari, mihi que ex indubitatis signis admodum conspicuo, Dei nutu, quo mihi hoc officium obtigit. Nec parum spem meam confirmat Venerandus, cui descriptus sum, Theologorum Ordo. Invenio enim Collegas, quos, ut Paulum Timotheus, merito non solum ut Præceptores, sed etiam



iam tanquam Patres jamdudum veneror, partim etiam ut fratres *ισοψύχοι* sincero amoris affectu complector. In quibus s'vavisimam animorum atque oris harmoniam, ab optimo quoque adhuc collaudatam, & Academiæ saluberrimam, cum considero, magis in votis habeo nihil, quam ut, iisdem ego *σύν-Φωνοι*, aliquem Ecclesiæ fructum opera mea quantulacunque ferre queam. Quare Spiritus Sancti gratia, Collegarumque, quos colo, benevolentia ac consiliis fretus, in Nomine Jesu Christi cum Petro retia mea in hoc Academi- ci, ut ita loquar, maris profundum projiciam. Decimus hoc ipso mense nunc vertitur annus, ex quo *Augustissimi REGIS* nostri auspiciis, primum ad labores Theologicos aditum nactus, illustri huic & longe frequentissimæ Aca- demiciæ opellam meam solenni ritu addixi quidem, sed hanc eidem tunc præstare, ob sacerdotalis muneris ad scholasticum accessionem, prohibitus sum. Largiatur ergo summus rerum nostrarum moderator, Deus, ut, quod di- latum adhuc, jam autem pleniore mensura denuo collatum est, etiam uberiore cum fructu exequi possim.

Cum vero docentis studium excitare soleat auditor, Vos, o Studiosi Ju- venes, Almæ Fridericianæ nostræ decus, & ex his præcipue Theologiæ cul- tores, quid vestri sit officii, vel ex meo facile intelligitis. Pauli quidem par- tes tantum abest, ut mihi, servorum Dei minimo, vindicem, ut ne Timothei quidem me sustinere, probe sciam. Interea tamen typum atque exemplar præbuit Paulus boni doctoris, uti Timotheus boni auditoris, per Dei gratiam omnino imitandum. Unde quemadmodum in hoc Programmate mihi ipsi scripti, meique me ipsum officii admonui, sic etiam Vos vestri esse admoni- tos, videtis. Spiritus Sancti auxilio succinctus, id agam sedulo, ne qua in re, supra vires datas haud posita, vobis vestrisque studiis opera mea unquam desit. Et vos, ne qua a me, de vobis omnibus ac singulis bene merituro, officii vestri pars juste desiderari possit, semper, ut spero optoque, allaborabit. Ea, quæ hyberno hoc semestri docturus sum, ut copiose edisseram, supervacuum est, postquam *Lectio- num hybernarum Prodromus*, jam pridem in lucem publicam emis- sus, id omnibus indicavit. *Theologiam Theticam*, uti & *Homileticam*, utramque; *Exe- geticam*, subinde haud superficialiter interserenda, superstruam, ex Ordinis nostri consilio tractabo publice. Eadem, sed diversis modis, tractabuntur privatim, reli- quis, quæ ad Theologiæ ambitum pertinent, neutiquam neglectis. *Lectio- num publicarum primordia* volente Deo incident in instantem diem IV. Nov. ubi de typo doctrinæ ex *Epist. ad Rom. c. VI, 17. ἐπιγρηγορώς* me dicentem benevole audietis. Servet Deus Fridericianæ nostræ Augustissimum FRIDERICUM nostrum quam diutissime, corporis ac animæ bonis magis magisque beandum. Servet secundetque in rei literariæ præsidium *Illustrissimum hujus provincie Regimen!* Servet, cum *Venerando Sacerdotum Ordine*, utriusque *Reipublicæ, & Academiæ & Civica, Proceres ac Cives*; largiaturque, ut sui nominis glo- ria una cum singulorum salute subinde luculentius amplificetur! P.P. Halleæ Saxonum, Dom. XXIII. Post Trinit. seu die III. Nov. MDCCIX.



JJ 5225

ULB Halle

3

002 698 757




st

Ms 18

Mt:











Q. D. B. V.  
DE

10

# GENUINA STU- DII THEOLOGICI,

præcipue

## THE TICI, INDOLE AC METHODO,

ex 2. Tim. I. v. 13, 14. demonstrata,  
differit,

atque

IN NOMINE JESU CHRISTI,

nec non

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI  
REGIS BORUSSIÆ AC ELECTORIS  
BRANDENBURGICI,

# FRIDERICI,

JUSSU CLEMENTISSIMO

publicum docendi munus capeffens,

## LECTIONUM THEOLOGICARUM

INITIA

ACADEMIÆ HALLENSIS CIVIBUS

OK.

INDICIT

### JOACHIMUS Lange!

SS. Theol. Prof. Publ. Ordin.

HALLÆ MAGDEBURGICAE  
LITTERIS CHRIST. HENCKELII, ACAD. TYP.

